



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

lesu Christi Annus. M.D.XC.I. Sancti Patris Benedicti. M.C.X.I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

in dignitate verum se omnium patrem comprobans & demonstrans, amorem sibi omnium conciliavit. Magno in honore habitus fuit à Philippo II. Rege Hispaniarum, quod magnam ejus Sanctitatem & in Regendo dexteritatem exploratam haberet; ideoque ei tunc vacantem Fiteri Abbatiam contulit, ut ejus exemplo & industria Sancta Regula in domo illa majori cum restrictione servaretur. Tanta erat erga pauperes charitate, ut ferè totum Cænobij censum in eorum necessitates impenderet, nulla sui ipsius habita ratione, quod ipse non plus quam minimus Monachorum, etsi Abbas, infunderet. Reliquit reformatissimum Monasterium, cum vita excederet, incredibili omnium mœrore tumulatus, tanto etiam majore cum gaudio & plausu, incertum qua de causa exhumatus, cum fortè fortuna tumulus ejus aperiretur; repertum siquidem sacrum ejus corpus est Septennio post mortem adeo integrum & incorruptum, quasi ea ipsa Die fuisset sepultum. Proin denuo terra conditum viva calce addita, ut facilius consumeretur, repertum, tamen multo post denuo est, & ut dextra Dei id factum intelligas, uti antea, incorruptum.

Ex monim. Eiusdem Monast.

Immortale & Apostolicum sanè meritum Sanctissimæ Congregationis nostræ Montis Sion in Hispania, ex qua hoc ipso tempore plurimi ad conversionem Gentium longè lateque & in Hiberniam in primis missi Zelum verè Apostolicum per innumera, vitæ pericula & labores ingentes solidè cœlo terris probavere & innumerabiles fere homines cum in fide confirmavere, tum ad gremium Sacræ Romanæ Ecclesiæ adduxere. *Ex varijs rerum Hispan. Scriptoribus.*

Matthæi Mollartij Episcopi Atrebatensis ex Abbate Gisleniano ingens in Episcopatu administrando virtus & gloria enitet, & ipse Apostolico Zelo & exemplo totum se ad purgandum agrum Dominicum convertens, optimè de Ecclesiâ & inferiore Germania meretur dum serpens longè lateque Hæreseos venenum summa industria avertit, totusque est, in aptissimis huic rei pastoribus efformandis & justitendis. *Ex rer. Belg. Script.*

Nec minor fama ex pari virtute &

Episcopali industria Joannis Baptistæ Bertuzuli Cæsénatis, Fanensium in Marchia Anconitana Pontificis, qui ob morum dignissimam gravitatem, & sapientiæ Doctrinam super candela-brum positus orbi, atque Ordini Illustrissimum lumen præbuit, & de sibi subjectis præclarè meruit. *Ang. de Carp. Arnoldus. Duac. Monim. Fanens. &c.*

Claret hoc ipso tempore Venerabilis Pater Didacus de Cespedes Vallis Ecclesiarum in Hispanijs monachus, vir eruditissimus, qui cum miro ferretur in Sanctissimam Deiparam affectu, totus in hoc incubuit, ut ejus quoque amorem alijs commendaret, & tantam Virginem & Imperatricem, quantum humanæ vires permitunt, ornaret, atque extolleret. Scripsit proin insignem de Eiusdem Laudibus Librum, & alterum de Miraculis B. M. V. Monasterij Montis Salutis, quo in loco grandibus prodigijs Matrem filius Virginis honorat. *Chryst. Henrig. Phœnix.*

IESU CHRISTI ANNUM. M. D. XC. I.

Sancti Paris Benedicti. M. C. X. I.

Supremus hic annus in terris est, primus in cælis & felici immortalitate Sanctæ memoria Patri Laurentio Gonzalez, Abbati Vallis Bonæ in Hispania, viri eximia vitæ sanctitate conspicui, qui post egregia atque admiranda pietatis opera, suam & aliorum trium Seniorum Religiosorum mortem diserte prædicens, in morbum incidit, & cum jam ad ultimum vitæ perveniret, flexis genibus, oculisque ac manibus ad cœlum erectis, hilarivultu Fratres circumstantes alloquutus: Fratres, inquit, video Gloriâ Dei, cumque his ipsis verbis beatum animum Creatori reddidit. quinto iduum Decembris, cujus felicissimo in transitu multa acciderunt, quæ animi puritatem, & egregia pij Patris merita denotarunt. *Ex Fascic. & Menoh. Henrig.*

Memorabili prorsus ætatis ante- versione, ante annos matura, sagax, prudentula & mirè devota, præter omnem Religiosorum consuetudinè, hoc ipso anno millésimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis suæ sexto, die vigesima tertialanuarij, Renata Lotharinga Sanctæ Religionis habitu solènter induitur, Nata fuit anno 1585, ipso solemnissigao Pentecostis Festo, fau-
sto

In pauperes beneficiis.

Corpus à morte incorruptum.

Hic Monast. Sion.

Matthæi Episc. Atrebat. merita.

Didacus de Cespedes.

Laurentius Gonzalez, Abbas.

sto planè omine, quippe quam sibi Spiritus Sanctus excellentissimo adventus sui munere consecrare volebat, sibi que à teneris hostiam delegerat, quam ardentissimo sui amoris igne, ab infantia oblatam [sextâ enim ab ortu hebdomade, Renatae cognatae S. Petri Abbatis oblatâ fuit.] felici incendio tandem absumeret. Fuit filia Henrici Lotharingi Guisfiae Ducis, & Catharinae Cliviae Niverfi Ducissae, neptis Francisci I. & Annae Atestinae Ferrariae Ducissae, Serenissimis sanè Syderibus, ipsa totius generis decus, cum tantilla in aetate admirationi omnibus esset, & revera juxta profectum Verbi incarnati, sapientia & aetate apud DEUM profecisset & homines, qui in puellula, praecoces Virtutum omnium fructus, distinctissimè intuebantur. De hac deinceps plura suo loco, cujus pro rei dignitate, prima Religionis rudimenta memoranda duximus solemnè cepta initio, cui & Legatus Apostolicus, & plurimi Magnates Galliae interfuerunt.

Ex vita Ms. & R. P. Amandi Tribut communicatis.

*Promotio
Congrega-
tionis Mon-
tis Syon.*

Cum sacra Congregatio Montis Syon, de qua superius, & numero Canoniorum & Monachorum virtute & sanctitate magis magisque quotidie ornaretur & augetur, eam Pontifices maximi, totis conatibus promovere curaverunt; & insignia eidem Privilegia contulerunt Collegiorum imprimis earundem Universitatum Privilegia augentes & confirmantes, de quibus consulendus Henriquez. Qui ait [rationè reddens, cur tanta multitudo ad nostros conflueret.] experiebantur enim singuli, efficaciam mirabilem, qua ad reducendos peccatores ad viam salutis homines illi DEO dediti, penitusque mundi vanitatibus Crucifixi pollebant, eorumque salutaribus monitis, plurimi, quasi coacti semitam amplectantur Virtutis. *Ex citatis.*

*Ioannes de
Bleu Ab-
bas.*

In Germania Inferiore augetur. Benedictio Numinis in Benedictinis, dum certatim Monasteria de nulla re alia magis contendunt, quam de exactiore inter se disciplina. Certe Ioannes de Bien S. Andreae prope Brugas Antistes, ita vicinorū remotorūque Religiosorū percellit animos, ut plurima Monasteria inde sibi subsidia, & expertos disciplinae Magistros expeterent.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XC.II.

Sancti Patris Benedicti. M.C.X.II.

Henricus Magnus Galliarum Rex, alias quartus dictus, etsi necdum Catholicus, Genebrardum tamen nostrum arcè complexus, ob admirabiles animi praestantissimi conceptus, & depraedicatam tota Europa eruditionem mirificè coluit; cumque hoc anno Sedes Metropolitana Aqueensis Alexandri Canigiani morte vacaret, eidem Archiepiscopum dedit, ejus deinceps opera ibidem benè usus, quod ibidem Provinciae Senatus, & Parlamentum, unum ex supremis Franciae Justitiae Tribunalibus à Ludovico XII. recens constitutum esset; ubi & Camera Rationalium seu Computorum sive Finantiarum, ut vulgo vocant, Generalitas, nec non monetæ fabrica erant. Fuit miraculum Archiepiscopi Genebrardus, juratissimus Hæreticorum hostis, quos, uti potentissimus erat, verbo, & sapientia incomparabilis, mirationum, argumentorum & demonstrationum vi felicissimè vincebat, sed & scriptis doctissimis confutabat, Apostolico sanè zelo ac merito, minime abhorrens sui amantissimum & observantissimum Regem hoc ipso offendere, qui, sive hominis eloquentia persuasus, sive auctoritate & aetimatione profundissima doctrinae captus & revera etiam convictus, tantum abest, ut tantum virum oderit, sed vel maximè suspexerit, deque ejuranda Hæresi serias cogitationes susceperit, donec sequenti anno incredibili Romanae Ecclesiae, & Catholicorū omnium, Christianissimi maximè Regni plausu Catholicum sese publicè profiteretur. Ut ad Gilbertum Genebrardum nostrum, post DEUM Ter Opt. Max. & ad exempla sanctitatis Fulienfium nostrorum, tanti Regis Conversio spectatissimè spectare videatur. Sed de Genebrardi nostri laudibus, nemo satis, quem Rex Henricus ad summos honores promovere statuerat; ita revera meritum, nisi tantum virum pramatura mors tanti Regis expectationi, ut paulo post videbimus, praeripuisse. *Ex diversis rer. Gall. Script.*

In Hispanijs magna vitae perfectionis, & eruditionis laude celebratur. Franciscus Suarez noster Vallis Paradisi Monachus, ore omnium longè latè-

*Henricus IV.
Gall. Reg.
in Gene-
brardum
affectio.*

*Ejus Con-
versio de-
bita Gene-
brardo.*

*Fulienfium
sancti ex-
empla*

*Franciscus
Suarez
Monachus
Vallis Pa-
rad.*